



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

Pars Vndecima. De Bonis Traditis Tempore Corbeiensis Abbatis Gerberni
Ab Anno 949 Vsque Ad A. 965.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

TRADITIONVM CORBEIENSIVM
PARS VNDECIMA,

IN QVA

RECENSENTVR BONA,

QVIBVS

ECCLESIAM CORBEIENSEM

ORNARVNT DOMINI QVIDAM

TEMPORE

ABBATIS CORBEIENSIS

G E R B E R N I

AB ANNO 949 VSQVE AD 965.

IMPERANTE

OTTONE PRIMO

TRADITIONVM CORBIEENSIVM
PARS VNDECIMA

IN QVA

RECENSENTVR BONI

ET

ECCLIESIAM CORBIEENSEM

ORNARVT EOMNI QVODAM

TELESTO

ABBATIS CORBIEENSIS

G E R B E R N I

ANNO 800

IN PRAESENTIA

OTTOE PRIMO



§. 400.

Tradidit erp pro se et coniuge sua amulred et pro filiis uualthardo et ludolfo in *duggun* (d) VIII. familia cum omnibus ad hunc locum pertinentibus id est in *ualliwistun* et quidquid ibi habuerunt in *mekkiestorpe* et quidquid ibi habuerunt in *cotbun* quidquid ibi habuerunt in *breme* quidquid ibi habuerunt in *liaeueringtorpe* quidquid ibi habuerunt in *dringtorpe* quidquid ibi habuerunt insuper tradidit *uualthardus* praesente abbate gerberno pro se et coniuge sua uuindilsuith et filio suo recheri in *hemscendu* IIII. familia.

§. 401.

(d) Nouam cum hoc §. inchoamus sectionem, et quidem eam ob causam, quia ex ipso contextu apparet, *Walthardum* quendam bona sua tradidisse ecclesiae Corbeiensi praesente abbate *Gerberno*, qui gubernaculum abbatiae nostrae anno 949 suscepit atque anno 965 mortuus est, chronico nostro coetaneo et MSCpto testante. Eo autem tempore tenebat adhuc scepra regalia *Otto I*, Heinrici aucupis filius, quibus tandem accedebat corona imperialis. *Otto* enim rex anno 962 Romae coronatus salubatur imperator augustus, chronico illo teste. Hisce praemissis, quaeritur, ad quamnam spectarit familiam *Erpo*, qui, teste §. nostro, bona quaedam largitus est ecclesiae Corbeiensi? Sine cunctatione respondemus, eum ad *claram Erponum tribum* esse referendum, cuius tribum meminit Chronicon nostrum saepissime excitatum. Illam tribum e stirpe Brunoniana originem traxisse, nobis probabilissimum adfirmatum videtur. Atque ut hoc pateat cunctis, consideranda sunt primum bona, quae ad Erpones nostros, in traditionibus ac diplomatibus nostris occurrentes, spectarunt. Haec erant sita 1) in villa *Duggun*, quam Saracho abbas in Registro B. et P. A. C. tribuit *pago Auga*. Villa haec hodie desolata est, olim vero existit in principatu Corbeiensi inter *Lebendorf* et *Furstenau*. Habebant in ea feudum vnum et alterum ab ecclesia nostra comites de *Perremunt*, et de *Spiegelberg*, a quibus porro illis subinfeudabantur domini de *Kannen*, uti in *clientela Corbeiensi* litteris, quas vocant feudales, demonstraturi sumus. Quilibet autem ex ipso contextu facillime colligere potest, hanc villam *Duggun* fuisse curtem maiorem, alias curtes minores sub se comprehendentem, quae sunt 2) *Walliwistun*, 3) *Mekkiestorpe*, 4) *Cotbun*, 5) *Lieueringtorpe* et 6) *Dringtorpe*, quas omnes in *pago Auga* existisse, Saracho perhibet. Multae aliae quae plures in eodem pago olim fuerunt obuia. Pars quaedam

Hhh h 3


harum

Ab anno
949 usque
965 re-
gnante
Ottone I.

harum curtium adhuc seculo XVII superfuit, quo denominatio regionum a pagis petita iam dudum in usu esse desierat. Ita v. g. in territorio Corbeienfi passim curtes seu domus inueniebantur, in quibus agrorum aliquot coloni habitabant, qui appellabantur *der Hakelmeier*, *der Flormeier*, *der Penningmeier*, *der Lemmeier*, *der Holemeier*, *der Goldmeier*. Regiones, in quibus domus eorum steterunt, usque in hodiernum diem nomina retinent, quamvis ipsarum domus in ruinam tempore belli tricennalis subsederint. Quondam cum viris atate grauibus fideque dignissimis de illis curtibus locuti sumus, qui nobis dixerunt, se adhuc oculis suis curtes illas usurpasse. Horum pronuntiato chartæ et diplomata optime respondent. Ita in campo S. Nicolai ante urbem Huxariam ad quinque cruces vulgariter dictæ *bey den fünf Creützen* reperitur die *Hakelbreite*; eodem in campo die *Florbreite* in loco dicto in dem *Flore*; in campo S. Petri inueniuntur die *Lemenbreite* et *Penningbreite*. die *Goldbreite* existat in campo S. Nicolai, ubi æque visitur die *Holebreite*, ager eo in loco obuius, quem hodie *den Paperwinckel* appellant. Ad explicandas litteras quasdam, in *Historia Corbeienfi* producendas, hæc dicta faciunt. Hoc autem loco sunt posita recensita, eo quod hic geographica tractamus. Colonus, dictus *der Hakelmeier*, probabilissime videtur agros tenuisse, qui quondam spectabant ad villam *Hakulersthorpe*, quos *Beuo* frater abbatis Warini et ducis Luidolfi monasterio Corbeienfi largitus est, testante §. 161. *Wallröschun* villa videretur collocanda in loco dicto *Wolfsen*, qui obuius est inter loca Oldenborg et Lewendorp, a quo non procul abfuit villa *Mekkiesthorpe*, quæ iam dudum in excidium abiit et fere intercidit, siquidem vix quædam eius vestigia superfunt. *Corbum* est vicus *Kotten*, olim inter *Furstenau* et *Lewendorp* conspicuus. *Breme* postea dicta est *Bremerberge*. *Lieveringtorpe* nostra atate dicitur *Lewendorp* locus, iter dimidiæ horæ situs a *Furstenau*. *Dringtorpe* locus est desolatus. Per hunc designatus non est vicus *Drencke* in principatu Corbeienfi haud procul a vico *Amelunchen* situs. Cum enim vicus *Codelheim* iam in pago *Nithega* fuerit situs, vti supra vidimus; vicus *Drencke*, si ipse iam anno 950 exstisset, ad alium, quam *Nithega* pagum referri non potuit. Tandem autem villa *Hemscendu* ab abbate nostro *Sarachone* collocatur in pago *Nithega*. Ipse procul dubio indicat vicum *Hemsen*, non procul a vico *Brockhusen* positum, ad iura spectantem nobilium dominorum de *Kannen*. Hic situs locorum, vtpote vix iter duarum horarum a castro *Brunonisburgo* sitorum, nobis persuadet, vt credamus, *Erponem* e stirpe *Brunoniana* descendisse, eundemque filium fuisse *Erponis*, quem supra (§. 255.) cum fratre suo *Gharwardo* in *Masinghusen* marca partem quandam siluæ nostræ abbatiæ tradentem deprehendimus. Siluam in dynastia *Padberg* in terminis ducatus *Westfalæ* et principatus *Waldecensis* exstuisse, constat. Quemadmodum enim bona, in *Auga* pago possessa, originem *Brunonianam* *Erponum* nostrorum docere nos possunt: ita bona, intra dynastiam *Padbergicam* tradita, indicare non nequeunt, *Erpones* illos ad celeberrimos comites *Padbergicos*, inter quos *Erponis* nomen creberrimum fuit, esse referendos. Esto itaque, *Erponem* fratrem *Gharwardi* fuisse patrem *Erponis*, coniugis *Amalredæ*. At quis pater fuit *Gharwardi* atque *Erponis*? *Erpo*, quem supra (§. 121.) inter coheredes ducis *Ostfalorum Hessi* deprehendimus, hic in censum venit. Quemadmodum enim ex adita hereditate colligere licet, *Erponem* istum ad familiam quandam illustrissimam esse referendum; ita illum cum nulla alia melius, quam *Brunoniana* vel *Widikindea* stirpe, copulare poteris. Si ergo statuere volueris, eundem *Erponem* fuisse filium *Brunonis* ducis, fratremque *Echerti*, *Haddonis*, *Thiodgeri*, *Meinulfi*, *Brunonis* atque *Euerhardi*, plana & perspicua erunt omnia. A claro quodam *Erpone tribum Erponum* duxisse originem, nemo sanè inficiari poterit. Pro illo autem autore habemus *Erponem*, coheredem ducis *Ostfalorum Hessi*, quem inter testes in traditionibus nostris deprehendimus, testem quippe traditorum bonorum §. 52 in pago *Auga*, §. 60 in pago *Hessi*, §. 87 in pago *Nithega*, §. 97 et 156 in pago *Auga*, atque §. 163 in pago *Nithega*. Ipse nobis idem videtur fuisse, quem *Annales Franc. Fuldenses* p. 31. comitem appellant, atque interfuisse expeditioni contra *Dalmatas* ac *Boëmanos* seu *Bohemos* anno 856 susceptæ, referunt. Probabilissime enim *Fuldenses* eiusdem obitum annotarunt, eo quod *Erpo* ille clara ortus erat stirpe, qualis sine dubio *Brunoniana* fuit, vtpote *Caroline* proxima. Cum autem in §. nostro *Walthardus* quidam pater prædicetur *Recheri*, verisimiliter quoque *Walterus*, qui teste §. 290 bona quædam tra-

tra-

tradidit sita in villa Amelinghus, frater fuit *Erponis II* et *Gbarwardi*, cuius *Wal-* guber-
teri nepos fuisse videtur *Waltheardus*, qui (§. 400) pro vxore sua *Windilwitha* nante
 et filio *Recherio* bona quædam tradidit, in *Hemscendu* sita. E situ bonorum ac Corbe-
 similitudine nominum id ipsum collegimus. Hemsen enim vicus ab Amelunch- iam
 sen vix iter vnus horæ est situs. Quare maxima cum veritatis specie coniecta- Gerber-
 mus, *Waltheardum* filium *Erponis* nomen accepisse a propatruo suo, *Walharoquo* no.
 et *Rechero* nomina esse indita, ab auis suis petita. An *Recherus*, filius *Waltheardi*,
 familiam propagauerit, cum ignarissimis scio. Illud autem annotasse volupe
 erit, *Waltheardum* filium *Erponis* ac fratrem *Luidolfi* postea scilicet anno 1012
 creatum fuisse archiepiscopum Magdeburgensem. Huius archiepiscopi *Waltheardi*
 patrem ac matrem appellat *Ditmarus* episc. Merseb. T. I. Leibn. p. 393. *Er-*
ponem seniore, atque *Amulvedam*. Eundem autem e clara *Erponum* tribu fu-
 isse ortum, e Chronico nostro MSCpto patet. Hic *Waltheardus* archiepiscopus
 duas habuit sorores, alteram laicam, alteram virginem sacratam teste eodem
Ditmaro p. 394. Sororis laicæ nomen expressit *Annalista Saxo* ad annum 1040
 p. 475, vbi eam nominat *Amulradam*, perhibens, hanc sororem *Waltheardi* Mag-
 deburgensis archiepiscopi nupuisse *Conrado*, dicto de *Maresleue* et *Horneburch*,
 eique genuisse *Suitgerum*, episcopum in *Babenberch*, tandem Romæ papam di-
 ctum *Clementem II*, *Conradum* Aquileiæ patriarcham, *Adelbertum*, qui urbem
Horneburch cum prædiis, illuc referendis, tradidit Halberstadeni ecclesiæ, et
Margaretam seu *Clementiam*, cuius posteritatem, eodem *Annalista* teste, tabula
 sequente exprimimus consignatam.



Waltheardus ipse archiepiscopatu Magdeburgensi diu non præfuit. Ipso enim
 anno MXII, quo electus fuit, discessit e vita. Reuertimur ergo ad eius fra-
 trem *Luidolfum*, quem patrem *Erponis IV*, atque auum *Luidolfi II*, *Wikieri*,
 atque *Erponis V* fuisse, probabili coniectura auguramur. *Erponis* enim *IV* no-
 men, ab auo, proauo, atque abauo petitum, inditum esse videtur. Eundem
 ab *Erpone II* descendisse, bona comprobant, quæ largitus est. Tradidit ille, re-
 stante §. 415, XXX iugera et vnam iurnalem in Mangereshus villa pagi Almunga.
 Designatur vicus Mengerthufen seu Meyngerinchen, olim ad dynastiam
 Weuelsburgicam spectans. Eum probe discernendum esse censemus a vicis
 Meinerinchen in præfectura Landau, atque a Mengerinchen, in præfectura
 Arolsen intra principatum Waldeccensem, sitis. Cum igitur *Wikierus* filius fue-
 rit

Ab anno
949 usque
965 re-
gnante
Otone I.

rit *Erponis IV.* fortassis ipse in censum quoque venit. Et frater *Erponis IV* statuendus videtur comes *Wikkerus*, cuius interuentu Otto imperator Augustus anno 978 Gifalharo episcopo donauit, quidquid proprietatis habuit in villa, Beifingen nominata et in comitatu Siberti comitis sita, testante diplomate in Io. Ge. Eccardi *Histor. geneal.* p. 146 seq. Vtuncque vero res se habeat, siue spectarit comes *Wikkerus* ad hanc familiam siue minus, probabile tamen est, *Wikkerum*, filium *Erponis IV*, habuisse fratrem nomine *Luidolfum*. Patet id ex auctore Vitæ Meinwerci episcopi, qui T. I. Leibn. p. 533. num. 40. refert, *nobilem quendam Luidolfum cum consensu fratris sui Wikeri et coniugis suæ Suanebildis pradium Welmithe Patherbrunnenſi eccleſiæ tradidiſſe, atque ab episcopo Meinwercō XV. talenta argenti et XX aratra in pago Weſſaga accepiſſe, ac poſtea episcopum, eum ad militem ſuſcipientem, prædicto Luidolfo XXX aratra in prædicto pago in beneficium dediſſe, ea ratione, ut in expeditionem IV ſcua tranſmitteret, et, ſi a ſeruitio ſe vnquam alienaret, XXX. aratra redderet.* Iste *Luidolfus* nomen ab auo *Luidolfo* accepiſſe videtur. Si certum eſſet, per *Welmithe* villam designari vel *Welde* haud procul ab oppido *Werbung*, vel *Weten* seu *Weiten* in præfectura *Roden* in principatu *Waldeccenſi*, tunc negari non poſſet, istum *Luidolfum* e stirpe *Brunoniana* eo, quo ostendimus, modo deſcendiſſe. An *Luidolfus* noster anno 1005 comitatum ſuum habuerit in aliqua episcopatus *Paderbornenſis* parte circa villam *Bochinafurti* seu *Böckerforde*, auctacter quidem pronunciare non audemus; vix autem alium *Luidolfum* intelligere poteris, quam noſtrum, quem ſequentes ſignificant litteræ, quas e membrana huc transferimus. En illas.

CIn nomine ſc̄e et indiuidue trinitatis *Heinricus* diuina fauente clementia rex. Omnium ſc̄e d̄i eccl̄ie fidelium p̄ntium ſcilicet et futurorum noverit industria qualiter noſ pio admonitu uenerabilis ep̄i *rotharii* felicis memorie patris n̄ri memoriam facientis nec non et tam n̄re quam etiam dilectiſſimę conſeſſalis n̄re *kunigunde* uidelicet regine anime conſulentes ad monaſterium in honore ſc̄i *liborii* *Pathrabrunnen* dedicatum quoniam p̄taxata amabilis coniux n̄ra regie conſecrationis inibi adiuuenerit donum tale p̄dium quale nobis *meinuercus* capellanus n̄re dedit in proprium donauimus ſitum in uilla *bochinafurti* et in comitatu *luidolfi comitis* cum omnibus eidem p̄dio iuſte et legaliter inherentiſus et appendiciis mancipiis utriuſque ſexus areis edificiis terris cultis et incultis uinis et inuiſ exitibus et redditibus ſiluis uenationibus aquis aquarumque decurſibus molendinis piſcationibus ſeu omnibus que dici uel ſcribi poſſunt quolibet modo utilitatibus ea uidelicet ratione ut p̄dictus ep̄us in ſua habeat poteſtate atque ſeruitute quamdiu deus ſibi concedat dies ſecularis uite. ſinitis uero ſuis temporibus ad ſtipendia fratrum in p̄ſato monaſterio d̄o ſc̄oq. *liborio* famulantium omni contradictione remota determinamus donamus conſecramus atque omni iure proprietario confirmamus ut habeant teneant firmiterque poſſideant et quidquid ſibi libeat inde ad communem uſum omnibus modis faciendi agant. quod ut uerius credatur inconuulſuſque ab omnibus obſeruetur hanc cartam inde conſcriptam manu propria roborantes ſigillis n̄ri impreſſione inſigniri iuſſimus.

Signum domni
Heinrici

regis inuictissimi.

euer-

euherhardus cancellarius uice uicilligif archi cappellani recogno-
uit
data VIII. kal. nouemb. indict. III anno dominice incarnationis
M. V. anno uero domni Heinrici secundi regnantis III. actum Cor-
beie.

et guber-
nante
Corbe-
iam
Gerber-
no.

De filiis et filiabus huius *Luidolfi* nihil, quod adfirmemus, certi habemus. Eius frater fuisse videtur *Erpo*, qui in traditionibus nostris (§. 479) circa annum 1029 pro filio suo *Frederico* in villa Sulugun in pago Almunga LX iugera et unam iurnalem Corbeiensibus tradidit. Hæc villa fortasse haud procul ab oppido Buren in episcopatu Paderbornensi existit. De hoc *Erpone* ad hæc differit *Vita Meinweri* p. 534 num. 44, si villa *Esikessen* est *Essen* in episcopatu Paderbornensi haud procul ab oppido *Stadberge*. Tradidit enim *Erpo*, consensu matris suæ *Evuse* atque uxoris suæ *Tette*, *Meinwero* episcopo Paderbornensi, quicquid proprietatis possedit in villa *Esikessen*. An ab hoc *Erpone* diuersus sit nec ne, vel an filius fuerit *Wikieri II* comes *Erpo*, qui circa annum 1022 in *Wartberge* prærens erat, cum *Bennaka* traderet prædium in villa *Werjesi* in pago *Auga* l. c. p. 534 num. 45, dicere non possumus. Illud probabilissimum erit. De eodem comite *Erpone* loqui litteras sequentes, quas e membrana, uti a docto amico Paderbornensi eas accepimus, inferere uolupte erit, quia ex illis quoque præcipiantia quaedam auctoris *Vita Meinweri* p. 559 num. CII. emendari poterit:

Quidam domnus nomine *brun* cum uxore sua *ida* uocitata ad dñum scē dei genetricis marię et scē kiliani martyris liborici, confessoris sua p̄dia in *sudeshburch* in *betanun* et *uallensledi* cum omnibus illuc pertinentibus in proprium tradidit. interea post quinquennium obitu imperatoris scēi *heinrici* adueniente p̄dicta *ida* cum uiro suo *brunone* haec omnes traditiones iniuste renuere uolebat. ep̄us uero *Meinuericus* quasi sapiens tanta p̄dia perdere nolens domnę *idę* usque ad exitum uite sue LXXX arata ad reconciliationem tribuit ea uidelicet ratione si ipse aut aliquis successorum ei subtrahere uoluerit præsignata arata quatenus hæc p̄dia eidem penitus restituat. XVIII. kal. octobris actum in *biruuelundun*. huius reconciliationis sunt testes *bernhardus dux*. *berimannus comes* et filii eius *heinric* *conrad* *atbertus* *bernhard*. *ekkika comes* *de astan*. *bernhard comes*. *erpbo comes*. *thiadricus comes*. *fresonie*. *auidukindus comes*. *amulungus comes* et frater eius *ekbertus*. *ekkika comes*. *geba* et filii eius *heinric* *cono* *uolchardus*. *benno* et frater eius *godica*. *uffo*. *beuo*. *eppo*. *riedach*. *engizo*. *uiza*. *hildilin*. *tammo*. *rothard*. *ehkizo*. *thiadric* miles *ekkiconis*. *bennaca* et frater eius *tiazo*. *reinald*. *godikin*. *uuizuca*. *gelo*. *drogo*. *thiapholt*. *tiamma comes* et frater eius *esic*. *iring*. *oua*. *ecilin*. *thiadric*. *meinhard*. *thiadric*.

Quia cæsar *Heinricus II* mortuus est anno 1024, sequitur inde, conuentum principum in loco *Hirutveldun*, meritis *Idę* ducis femine insigni, celebratum fuisse anno 1024. Atque ex hoc colligitur, *Erponem* comitem, cuius meminere hæc litteræ, adhuc anno 1024 uixisse. Diuersus ergo hic *Erpo comes* fuerit necesse est ab *Erpone comite*, cuius corpus iam anno 1023 requiescebat in monasterio *Coufunga*, testante diplomate cæsaris *Heinrici* dato *Patherbrunnæ* XIX. kal. febru. indict. VI. Hic *Erpbo comes*, *Kaufungę* sepultus, fortassis fuit comes *Erpo*, cuius comitatus erat in pago *Helmingowi*, testante diplomate cæsaris *Otonis* ad annum 980. II. id. febru. dato. Hic *Erpo* uidetur fuisse *Erpo*, pater *Wikieri*, cuius mentionem faciunt traditiones nostrę §. 415. *Erpo*, comes, pater *Frederici*, porro parens uidetur fuisse *Erponis* comitis, in cuius comitatu anno 1052 erat prædium *Sturibroh* secundum fidem diplomatis, quod reperitur in *Nic. Scharenii Annal. Pad.* T. I. p. 540 seq. Si enim, uti uerissimile uidetur, *Sturibroh* est *Sturmbruck* in principatus *Waldecensis* præfectura *Eisenberg*


Ab anno
949 usque
965 re-
gnante
Ottone I. *men.*

§. 401.

Tradidit thangmarus pro filio suo redulfo I familiam in *stamm-*
(c)

§. 402.

non procul a terminis comitatus Patbergici, neminem infitias iturum censemus, hunc comitem *Erponem* inter progenitores Patbergensium comitum esse referendum. Huius autem *Erponis comitis* filii fuisse videntur *Erpo comes de Patberg ac Thietmarus*. Ille, consentiente vxore sua *Beatrice*, fundator exstitit monasterii in Boka super fluuium Lippiam ad annum 1101, testantibus diplomatis in N. Scharenii *Annal. Paderb.* T. I. p. 652. seqq. Refert l. c. Scharenius, *Erponem*, qui se ipsum nominauit *comitem de Patberg*, sine prole anno 1113 decessisse, *Thietmarumque* omnino vacuum liberis fuisse, et comitatum Patbergensem, ad Dimolum fluuium inter Montem Martis et Brielam ducatus Westfaliae oppidum, et ad confinia Waldeccensis principatus situm, partim archiepiscopo Colonienfisi, partim comitibus Waldeccensibus, concessisse. In cuius pronuntiarum falsitatem in Historia Montis Martensis potior inquirendi occasio adfulgebit. Interim hactenus dicta in summam contrahentes, ea sequenti tabula genealogica conspectui sistemus, quae exposuimus hucusque.



De villa
Stammen
in pago
Scotelin-
gen.

(c) Quidquid supra §. 355 de *Bennone* Widikindeo, castri *Bennonisburgi* prope Hildesiam autore, asseruimus, et quidquid de dominis Widikindeis, possessoribus praediorum in tractu Hildesienfisi, l. c. diximus, id confirmatur egregie hoc §. nostro. Si enim *Thangmarus* noster erat pronepos eiusdem *Bennonis*, uti §. 104. not. (†††) ostendimus, villa *Stammen* procul dubio in manus peruenerat *Thangmari* nostri ex hereditate paterna. Villa enim *Stammen* ab abbate nostro Sarachone in praestantissimo Registro tribuitur pago *Scotelingen*. Vnde designari suspi-

§. 402.

Tradidit bruno pro matre sua tade XXXX iugera et I iurnalem in folberghebus (f).

et gubez-
nante
Corbe-
iam
Gerber-
no.

§. 403.

Tradidit uualh pro filio suo hatholdo XXX iugera et I iurnalem (g)

§. 404.

suspicati fuimus *Stemmen*, id est, vel *Nort-Stemmen* vel *Burg-Stemmen* villas, in praefectura Poppenburg vnum milliare circiter disiunctas ab vrbe Hildesia. Cum itaque *Benno* eiusque frater *Ricdagus* quidem bona quaedam tradiderint, in pagis *Merstem*, *Ambergo* et *Guddingo* sita, e traditione tamen nostra fit planum, eos omnia bona sua in eadem regione, ex hereditate ducis Ostfalorum *Hessi* adquisita, non elargitos fuisse, sed retinuisse sibi eorum pleraque, quae postea eius heredes, inter quos probabilissime videtur fuisse *Macco* aduocatus Hildesienfis, iure hereditario consecuti sunt. Fortassis haec dicta faciunt ad melius indagandam veram originem comitum de *Poppenburch*, quorum castrum quondam situm erat ad *Leinam* in monte seu potius in colle, duobus circiter milliariibus ab vrbe *Hildesia* secreto. Sane *Widkindus* ac *Theodoricus* eiusque filius *Theodoricus* comites de *Poppenburg*, quorum mentio iniicitur *Tom. I. S. R. B. Leibnitii* p. 755, et 766, arguere videntur originem a *Widikindeis*. Inter hos enim nomina *Widkindorum* ac *Theodoricorum* crebra et frequentiora fuerunt.

- (f) Villa *Folberghebus* erat in pago *Suilbergi* sita, teste abbate *Sarachone*. Hinc de-
notari putamus vicum *Volbrechtbusen*, olim in saltu *Sollingano* situm. Bruno-
nem, qui in eadem villa bona quaedam largitus est, inter progenitores nobilium
dominorum de *Sconenberg* retulimus. Fortasse ex hoc exquiri potest ratio,
cur nobiles domini de *Sconenberg*, quamuis tenuerint in *Landgraviatu Hassiae*
cum castro *Trendelburg* dynastiam *Sconenberg*, placitis prouincialibus in monte
Laine in principatu *Gottingensi* interesse debuerint.

De villa
Folber-
ghebus
in pago
Suilbergi.

- (g) Sequitur in nostro Registro B. et P. A. C. villa *Tinckilburg*, sita in pago *Hessi Sa-*
xonico. In ea *Walb* pro filio suo *Hatboldo* XXX iugera et I iurnalem tradidit.
In codice nostro villae nomen non potest distincte legi, quippe per vetustatem
derritum. Supplendum ergo id est e Registro abbatis *Sarachonis*. Intelligitur
autem designari dubio procul vicus *Dinkelborg* in *Paderbornensi* episcopatu inter
Natzungen, *Embrik*, *Rösbeck*, *Klingenborg* et *Borgentrick*. Ex hoc villae si-
tu conclusimus, *Walbonem* cum filio suo *Hatboldo* ad progenitores comitum de
Wartborg esse referendum. Fortassis *Walb* filius fuit *Brunwardi*, cuius tradi-
tiones nostrae meminerunt §. 215; ipse vero *Hatboldus* pater videtur nobilis mu-
lieris *Reinike* eiusque fratris *Haoldi*, quorum mentionem iniecit auctor *Vitae*
Meinwerici p. 537. referens, eandem *Reinike* cum consensu fratris sui *Haoldi* ad
dominium *Patherbrunnensis* ecclesiae in proprium delegasse, quidquid proprietatis
habuerit in *Dodanbusen* et *Tinckerdinbusen*, atque episcopum *Meinwericum*,
hanc traditionem pie accipientem, praefate *Reiniken* eandem curtem in *Tinckerdin-*
busen, et omnem decimationem in *Tinckilburg* et in *Lellibiki* et in *Rian*, et VI
familias usque ad exitum vitae suae et insuper VII talenta, fratri eius *Haoldo* II
talenta dedisse. Videtur enim *Meinwericus* episcopus feminae *Reiniken* decima-
tionem in *Tinckilburg* donasse, eo quod *Reinike* plura alia bona in eadem villa
possederat, quae iure hereditario coniectamus ad eam peruenisse a patre suo *Ha-*
tholdo atque auto suo *Walbone*.

De villa
Tinckil-
burg
in pago
Hessi Sa-
xonico.

Ab anno
949 usque
965 re-
gnante
Ottone I. *hallu.* (h)

§. 404.

Tradidit rothuardus pro se et coniuge sua uindilmod II familiae in

§. 405.

De villa
Hallu
in pago
Tiliti.

(h) Villam *Hallu ad pagum* esse relatum *Tiliti*, refert nobis Saracho abbas in Registro. Significari censemus vicum *Halle*, locum principatus Wolferbuttelensis, intra praefecturam Wickensen. Ephoriae ecclesiasticae sedes inde Beueram fuit translata a. 1734. Ad diocesin Hildesheimensem olim spectasse locum, patet ex eo, quod in eadem regione locus Puregritte et fluius Wabeche termini erant parochiarum Mindenensis et Hildesheimensis ecclesiae, teste diplomate in Lunigii *Reichs-Archiv Spicil. Eccles. P. II.* im Anhang p. 105. Anno 1056 praedium quoddam in villa, quae *Hallo* dicebatur, comparauerat sibi Eilbertus, abbas Abdinghonianus tertius, a Thancmaro et huius heredibus XX marcis. Eodem tempore villa *Hallo* erat in comitatu Bernhardi ducis sita, teste diplomate in Nic. Schatenii *Annal. Paderb. T. I.* p. 548, nisi malueris designari locum *Halle*, quem iuxta monasterium Wildeshufen posuit auctor *Compilationis Chronolog. T. II. S. R. B. Leibn. p. 62.* Comitatu Euersteinensi olim adnumeratam fuisse villam *Hallu*, in pago *Tiliti* sitam, negari sane non poterit. Quamuis enim e litteris, iam supra (§. 398) allatis iudicium facere liceat, vicum *Halle* anno 1551 ad dynastiam Homburgicam fuisse relatum; putamus tamen, ibi de solo vico *Krepe* id adfirmari: Comprobamus id ipsum litteris Ernesti, ducis Brunswicensis et Luneburgensis ad annum 1594, in quibus viro nobili Statio, de Munchhausen dicto, in feudum conferuntur bona, quae Vde de Halle a domino *Euersteinensi* quondam ex feudi beneficio tenuerat. Haec complectebantur praedium cum aliquot mansis, in vico et iuxta vicum *Halle* situm, praedium in Perdestorp, item die *Grundhöfe in Borkenstede* et vicum *Buye* cum eorum partibus adnexis. Sane quondam possedisse comites de Euerstein in villa *Halle* bona hereditaria, constat e litteris *Otonis comitis dicti de Euerstein*, in quibus anno MCCXL. indict. XIII. *legat ecclesie Amelungesbornensi censum nouem talentorum prope Hemmendorpe post suum et uxoris sue obitum in elemosynam, deinde receptis XL talentis Hildesheimensis moneta eidem plane renuntiat, ac ecclesie Corbeiensi, a quo hoc feudum porrigebatur, in compensationis vicem tradit censum per bona sita in Halle, eumque ab abbate in feudum suscipit, et insuper duo talenta ex nouem talentis predictis a fratribus Eschwino et Henrico, militibus de Steinberg, redemit. Testes huius rei erant Fredericus praepositus, Albertus Praepositus, Conradus, Lodewicus, et Hermannus comites de Euerstein, omnes fratres predicti Otonis: miles Albero de Herstelle, Henricus dapifer, Henricus Rebok, Lodewicus Mucke alique, Alberto filio Otonis in castro Holtzminne censum in manus Amelungesbornensium resignante, presente abbate Theodorico.* Huius autem facti consensionem impertit eodem anno abbas noster Corbeiensis, Hermannus, diplomatis, quod e membrana huc inferimus, interuentu. En illud.

In nomine sc̄e et indiuidue trinitatis. Zermannus dei grā Corbeiensis abbas. uniuersis Xpī fidelibus in ppetuum. Quotiens id a nob̄ petit̄ quod rationi conuenire dinoscit̄ nec unde nrā ecclia p̄grauatur. animo nos decet libenti concedere. et petentiū desideris effectū congruū exhibere. hinc est quod piis sc̄ib⁹ uiri nobilis comitis Otonis de Euerstein benigne auiūtes censū nouē talentoz. de salinis in hemmendorpe. quem a nob̄ in feodo tenuit. et consensu nrō ecclie bte marie uirginis in Amelungesborn in elemosina obulit. ob ipsius dilectionē et instatiā cū capituli nrī et ministerialiū conuientia eidē ecclie contulim⁹ cū omni p̄prietatis iure ppetuo possidendū. uerū ut nos indemnitati ecclie nrē nihilomin⁹ cauerem⁹. bona quedā. que dicunt̄ Elhof sita in halle de-

cē

§. 405.

Tradidit reginoldus pro uuindilburg I familiam in lengi-
thi. (i)

er guber-
nante
Corbe-
iam
Gerber-
no.

§. 406.

cē scilicet mansos ab eodē comite recepim⁹ in restaurationē. dicta bona sibi ut censū tenuerat salinarum in feodo cedentes. preterea sciendū. quod cū idem uir nobilis cū uxore sua p̄fatū censū. postquā humanitatis debitū adimplessent. ecclie in eleemosinā specialiter delegassent. ob uarietate causarū diatim cōgētiū in ip̄m comitē et eccliam sic conuenit. quod receptis XL. talentis Zildens. monete omni cōlūento quod ex eisde salinis tempore uite sue consequi poterat. plene renūciauit. insup et duo talenta ex p̄dictis VIII. a fratrib⁹ *Eschwino* et *Henrico militib⁹ de Stenberch* iure feudali possessa datis eisde fratrib⁹ talentis XIII. expediuit. Qui itaq. actionis ueritas ut apud posteros n̄ros p̄petuo rata et incōuulla p̄maneat. p̄sentē paginā inde cōscriptā eidē ecclie dedim⁹ cū aūtoratiōe testiū et sigilli n̄ri imp̄ssiōe insignitā. Testes autē sunt *Conrad⁹ p̄posit⁹ corbeiensis*. *Timmo p̄posit⁹ de monte martis*. *Striger⁹ portari⁹ corbeien.* *Johannes de sanctis monach⁹* et camerari⁹ in *Amelungeborne*. milites. *Arnold⁹ de Zauerfuorde*. *Arnold⁹ de Paderborne*. *Reimbert⁹ de Emenchusen*. *Theodoric⁹ de Emenchusen*.

Johannes Leschebone et alii qm̄ plures. Acta sunt h̄ anno dñice incarnat. M. CC. XL. indictione XIII. regnante Frederico Romano-rū impatore et semp Augusto.

Sigillum appen-
sum uide in Tab.
VI. num. 4.

Cum itaque vicus *Halle* olim fuerit ditionis Euersteinsium Comitum, ex eo collegimus, *Rotwardum*, qui obuias in eodem vico duas tradidit familias ecclesie Corbeiensi, ad comitum Euersteinsium progenitores referendum esse. Confer. supra §. 104 not. (n).

- (i) *Lengithi* villa erat sita in pago *Logne*, teste abbate Sarachone in Registro B. et P. De villa Abb. Corb. Designatur villa vel *Grossen Lengede* vel *Kleinen-Lengede*, in principatu Gottingensi sub p̄fectura Niedeck adquiescens. Hunc vicum probe discernas uelim a vico *Lengede*, qui est in p̄fectura Peina, et a vico *Lengede*, quem complectitur p̄fectura Wiedelah, in Hildesheimensi episcopatu clara, *Reginoldus*, qui *Lengithi* villa pagi *Logne* quādam tradidit ecclesie Corbeiensi, procul dubio ad progenitores comitum, de Northeim et Dassel adpellatorum, spectauit, uti eius dona et nomen, quod inter illos crebro repetitur, uidentur declarare.

Ab anno
949vsque
965. re-
gnante
Ottone I. *Stesforde* (k) et oparium fil.
et guber-
nante
Corbe-
iam
Gerber-
no.

§. 406.

Tradidit alfricus pro patre suo ottone quandam partem salinarum in

§. 407.

De villa
Stesforde
in pago
Sueuon.

(k) *Stesforde* villa tribuitur ab abbate Sarachone in Registro sapissime laudato ipsi pago *Sueuon.* Hunc trans Bodam fluuium in diocesi Halberstadenfi olim conspicuum fuisse, demonstrauius iam supra (§. 358), perhibentes, significari oppidum *Stesfurt*, fluuiio Bodæ adiectum, quod etate nostra pars est Magdeburgensis ducatus. Salinas in eo reperiri, *comitesque de Plozzike*, qui a *comitibus de Conradesburch* descendunt, in eo olim bona hereditaria possedisse, lippis fere et tonforibus notum est. Merito igitur *Alfricum*, qui pro patre suo *Ottone* sita in eodem loco bona hereditaria ecclesiæ nostræ largitus est, pro autore et satore *comitum de Conradesburch* habemus, neque sperare non possumus, eruditos nostræ sententiæ calculum suum adiecturos esse.



TRA-